

Ralle



25
1991.22
FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JCtvs,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.





Uilibet bono Patrifamilias incumbit rem suam familiarem industriā quādam & solertiā administrare, adeò ut cum alio contracturus non sit ignarus conditionis illius, cum quo vult contrahere. L. 19. ff. de R. I. ne inconsideratè contrahens in præsens aliquod damnum incidat. Arg. L. si Pater. in fin. Cod. de dot. Promiss. & ei occinatur, disce cautius mercari. L. incivitem. Cod. de furt. & serv. compt. & ne alleganti ignorantiam opponatur eam esse crassam & supinam, quam omnia jura damnant, imputantque ei, quod non fuerit diligentior, cùm explorando alterius conditionem facile scire potuisset, aut eandem ante contractum initum explorare; quippe tam in culpa est, qui scire potuit & debuit, tametsi non sciat, quām is, qui scit. WESENBEC. Consil. 8. n. 36. Vol. I. Vigilantibus enim, non negligentibus jura scripta sunt. L. Non enim. 16. Ex quib, caus. major. & nunquam justa est ignorantiae allegatio

gatio, nec effectum juris capit, quando quis perquirendo, per se, vel per alios, certior reddi possit. Insuper in terminis traditur à juris consultis, ei, qui scire potuit & debuit, sed scire neglexit, & nihilominus contraxit, non indulgendam esse ex clausula generali, si qua mihi justa causa, restitutionem in integrum. M E V. *Consil.* 77. n. 82. seqq. Prima itaque sollicitudo contrahentibus incumbit, in qualitatem personarum inquisivisse; nec enim excusabitur postea, si ab ignoto & transeunte se emisse dixerit. *L. civile Cod. dict. lit. de furi.* Sed sibi imputare debet, quod non diligentius in personæ conditionem inquisiverit; Quarum quædam ad eò obligationis sunt incapaces, ut nec se aliis obligare possint, nec alias sibi. Quædam alias sibi obligare possunt, sed ipse aliis non obligantur, nisi aliorum accedente consensu, vel auctoritate. Quædam obligationis sunt incapaces, sed intuitu tantum certæ personæ, cum quâ ficta intercedit unio. Quædam certorum tantum contractuum sunt incapaces, non aliorum. *Stryk de Cautel. Contract. sect. I. cap. 2. §. 2.* Primi generis sunt personæ quæ defectu intellectus laborant, ut furiosi, mente capti, infantes, ebrii, ac universim omnes, qui non possunt consentire, aut saltem consensum nequeunt signis exterius sufficienter perceptibilibus manifestare. Usque ad eò autem verum est furiosum non esse contrahendo obligabilem, ut ne quidem accedente tutoris auctoritate valide possit contrahere *L. 5. ff. de R. I.* quod tunc demum procedit, quando actu emotæ mentis est, ac tale subest negotium, ad cuius substantiam verus contrahentium consensus desideratur: nam si vel furor cessaverit, vel

saltem contractus non consensu, sed re perficitur, dicendum est ipsum esse obligabilem. L. 46. ff. de oblig. & ad. L. 29. ff. commun. divid. Sic dubitandum non est, quin furiosus efficaciter obligetur, si quis vel tanquam negotiorum gestor, vel curator ipsius negotia illius utiliter gesserit. Porro incapax obligationis est mente captus, cum enim & talis nequeat ponere serium ac deliberatum consensum, sponte suâ sequitur, ipsum etiam non posse contrahendo obligari. Deinde natura prohibetur contrahere infans, sive is, qui nondum adeptus est tantum rationis usum, ut possit bonum à malo sufficienter distinguere, licet fortè annum septimum jam excesserit; qui enim non potest ponere serium ac deliberatum consensum, non potest ullum contractum verè talem validè inire. Infans tamen civiliter talis potest ex natura rei, ac præscindendo à lege positivâ validè contrahere, & contrahendo efficaciter obligari. Nam in jure naturæ ad valorem contractus aliud non requiritur, quam serius ac deliberatus consensus. Sed talem potest ponere omnis ille, qui infantiam naturalem est emensus, consequenter stando in jure naturæ omnis ille, qui naturaliter infans non est, validè potest contrahere. Dicitur quidem in §. 9. inst. de inutil. flip. infantem non multum à furioso distare. Item nullum habere intellectum. Verum quis non videt, textum de eo loqui, qui non tantum civiliter, sed insuper etiam naturaliter est adhuc infans: de eo namque, qui tantum jam adeptus est rationis usum, ut possit bonum à malo distinguere, cum veritate dici nequit, quod furioso sit similis. item, quod nullum babeat intellectum. Insuper naturā pro-

prohibetur contrahere ebrios. Sed an omnis? Resp.
quod non. Videndum enim, an sit ebrios ebrietate
perfecta, num tantum imperfecta. Si tali, quae indu-
cit omnimodam alienationem mentis, prohibetur con-
trahere, quia nequit consentire. Si vero tali, quae re-
linquit adhuc tantum rationis usum, ut possit committ-
tere peccatum Theologicum, contrahere non impedi-
tur. Surdus etiam & mutus, subintellige talis, qui ne-
quit consensum suum per signa ab aliis sufficienter per-
ceptibilia exprimere. Nam si possit hoc facere, recte
contrahit: Solâ exceptâ stipulatione, utpote, quae ad
substantialem perfectionem suam verba ore prolatâ
desiderat §. 7. *inst. de inutil. stip.* Obstat etiam aliqui-
bus lex positiva, quominus possint contrahendo efficac-
iter obligari, in quorum numero est pupillus, sive is,
qui quidem emensus est annum septimum nondum ta-
men complevit decimum quartum: licet enim ejus
aetatis homines jam intelligent quod agunt, possintque
ad eo malum à bono sufficienter distinguere, quietamen
imbecille adhuc habent judicium, ac ob animi levita-
tem credantur inhabiles, qui obligationum ex contra-
etu dependentium gravitatem, indeque fluens præju-
dicium, pro merito valeant ponderare, non sine funda-
mento legislator civilis eorum consensum duxit inha-
bilitandum, ac contrahendi facultatem, de jure naturæ
ipsis competentem, intra certos limites restringendum,
ita ut extra eos nequirent obligari. Absolutè itaque
pupillus ad contrahendum non est inhabilis lege posi-
tivâ, sed tantum secundum quid, ita ut non possit libe-
rè, ac extra præscriptos jure terminos contrahendo ob-
ligat

ligari, nisi tute ore authore. Sine cuius autoritate-
pupillus non oest bligabilis. Verum hic anxia, & non
minùs à Theologis quam Jureconsultis agitata nascitur
controversia, disceptatur enim, an pupillus sine tutoris
authoritate contrahens, obligetur saltem naturaliter.
Prima sententia affirmat. Ita ex Theologis *Sanchez*,
Molina, & alii. Ex JCtis verò *Zæsus*, *Perez*, *Hahn ad*
Wesenb. & plures alii. Secunda negat pupillum natura-
liter obligari, si locupletior non sit factus. *Cujacius*,
Weisenbecker, *Rennemannus*, & plures alii. Tertia distin-
guit inter obligationem naturalem veram & fictam, di-
citatque pupillum obligari naturaliter obligatione fictâ,
non verâ. Ita *Bachovius*, *Vinnius*, & accuratores com-
muniter. Minor etiam habens curatorem sine ejus
consensu contrahens, æquè parùm obligatur ac pu-
pillus L. 5. Cod. de in interpr. refit. Porrò jure positivo
prohibetur prodigus, sive is, qui nullum bonis suis di-
lapidandis finem facit, sed omnia furiose dissipat, quo-
ad administrationem bonorum non multum à furioso
distat, juridicè talis nequit contrahendo obligari. L. 40.
ff. de R. I. L. 1. pr. de curat. furi. L. 6. ff. de verb. obl. &
sine tute ore invalidè contrahit illum contractum, ex
quo conditionem suam potest reddere deteriorem.
Ethicè tantùm prodigus, de jure naturæ validè con-
trahit, ac contrahendo obligatur, nam jus positivum
hoc in passu nullibi recessit à naturali. Sed obligatur-
ne prodigus juridicè talis, seu is, cui ob prodigalitatem
ethicam bonorum administratio actu est interdicta,
si sine curatore contrahat, saltem naturaliter? Resp. nega-
tivè, per cit. L. 6. de V.O. ubi dicitur, quod pro prodigo sine
cura.

curatoris sui consensu contrahente nequeat fidejussor intervenire; cum expediti juris sit, quod is, pro quo contrahente non possit intervenire fidejussor, nec natura-
liter obligetur. L. 16. §. 3. ff. de fidejuss. Sed pro Prodi-
go sine curatoris consensu contrahente, non potest intervenire fidejussor. d. L. 6. ergo ne quidem natura-
liter obligatur. Plures alias personas contrahentes, &
an illæ penitus contrahere nequeant, vel an non solæ,
sed alienâ demum authoritate accedente, distinctius
lustrat Stryk. dict. scđ. I. cap. 2. & lustrabit occasione
dict. L. Qui cum 19. ff. de R. I. in lectioне cursoria.

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
GOTTLOB FRIDERICVS
KARGK,

Natus Doeblæ d. VII. Decembr. anno MDCCVII.
Patre Dr. GEORGIO FRIDERICO KARGK quondam Præ-
fectoriae Lautersteinensis præfecto jam Accisæ Inspecto-
re & civitatis Doebelensis consule, Matre JOANNA SO-
PHIA, FILIA Beati JOANNIS HAVSNERI, civitatis Doebe-
lenijs Syndici & Juris Practici longè celeberrimi. Præ-
ter propriam parentum educationem etiam Præce-
ptorum suorum, quos in illustri Lyceo-Misenensi studio
imitari conatus, non est immemor. Sicuti e contra
omnes Jurisprudentiæ profectus quos in Academia ce-
leberrima Lipsiensi per qua driennium fecit Viro
excell. & consultissimo D. JOANNI HENRICO GRI-
ENERO, Fac. Jurid. Lips. Ordinario nec non viris clarissi-
mis

mis D. GEBAVERO & D. DINCKLERO se debere profitetnr,
quibus id omne vicissim consécrat. Tandem nos ac-
cessit, & ad Examen consuetum rigorosum Dominor-
um Candidatorum admitti decenter petiit, admissus
textus ex utroque jure transmissos solidè explanavit, &
ad quæstiones propositas ita respondit, ut unanimi con-
sensu Gradu Doctorali dignus judicatus sit, proximâ ita-
que die sabbati lectionem cursoriam ad dict. L. Quiccum.
19. ff. de R. I. eaque finitâ Disputationem inauguralem
de PRINCIPE CONTRAHENTE, habebit. Ad quos
actus solennes Magnificus Universitatis Dominus Re-
ctor, cæterisque Domini Proceres & Cives Academicí
humaniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facult.
Jurid. die VII. Octobr. MD CC XXXI.




ULB Halle


3

005 367 751



VDN 8





25
1731/22
26

FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

